



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreas Vallensis Vvlgo Del Vvlix Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

3. Quæ Sacramenta reiterari possint, & quæ non.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

eorum tamen quædam necessaria sunt ad salutem, alia verò non, sed voluntaria, id est pro cuiusque arbitrio & voluntate suscipiuntur, Conc. Trid. *d. loco can. 4. c. Veniens 8 inf. De transact. can. Remissionem 29. § Sed notandum 1. q. 1.*

Necessaria sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, & Extrema Unctio, quia sine periculo salutis prætermitti, aut certe temerè negligi non possunt. Nam per baptismum grandis in numerum credentium seu regenerarum ad vitam, & in eo Spiritus sanctus nos abluit, ac plenitudinem tribuit ad innocentiam, *can. 2. de consecrat. dist. 5. absque eo vero nulla salus promittitur, can. Nulla cum seq. de consecrat. dist. 4. can. 1. cum seq. De consecrat. dist. 5. per confirmationem augetur in gratia, roboramurque in fide, can. Spiritus sanctus de consecrat. dist. 5. can. Nullus ministrorum De consecrat. dist. 4. c. unico § per frontis De sacra unct. renati verò & roborati nutrimur divinæ Eucharistia alimonia, can. Omnis Christianus de consecrat. dist. 1. can. Qui recedunt, & can. De his xxvi. q. 6. Et dum per peccatum incurrimus ægritudinem animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur: quemadmodum & simul corporaliter, si animæ expedit, per Extremam Unctionem, *can. Non potest de pœnit. dist. 1. & similibus.**

3. Voluntaria sunt Ordo, *can. Vbi ista dist. 74. can. fin. §. fin. xxii. q. 4. & Matrimonium, can. Vbi non est xxx. q. 2. c. Præterea, c. Cum locum inf. de sponsalib. Per Ordinem Ecclesiæ gubernatus & spiritualiter multiplicatur; per Matrimonium verò corporaliter augetur. Conc. Flor. d. loco.*

### §. III.

Quæ Sacramenta reiterari possint, & quæ non.

1. Iterari non possunt characterem imprimens, Baptismus, Confirmatio, & Ordo.

2. Cætera possunt.

1. **E**X prædictis septem Sacramentis quædam imprimunt characterem in animo indelebilem, hoc est, signum quoddam spirituale & indelebile: ideoque ne illis fiat injuria per reiterationem, quasi talem characterem non impressissent, sine sacrilegio reiterari non possunt, ut Baptismus, Confirmatio, & Ordo, Conc. Trid. *d. loco can. Sacrosanctæ, can. Major 1. q. 1. & alij,*

*& tit. Cod. Ne sanctum baptismus reiteretur: aded ut si quid in his administrandis incautè omisissum fuerit, illud sine reiteratione reliquorum debite & caute suppleendum sit, c. 1. & ult. h. tit. Sin dubitetur, an ejusmodi Sacramentum non reiterabile collatum sit, non dicitur iteratum, si conferatur, can. Si nulla de consecrat. dist. 4.*

2. Alia vero Sacramenta characterem non imprimunt, quæ proinde reiterari possunt, uti de Extrema Unctione patet ex Conc. Trident. *Sess. 14. can. 3. de Eucharistia ex can. Quotidie, can. Si non frequentius de consecrat. dist. 2. de Pœnitentia (privata scilicet) ex c. Omnis inf. de pœnit. & remiss. nam secus de publica, can. In capite dist. 50. de Matrimonio denique ex toto sit decretal. de secundæ nuptiis. Hinc itaque patet, sacram unctioem, quæ in administratione Sacramentorum Baptismi, confirmationis & Ordinis adhibetur, non esse reiterabilem; eam vero, quæ adhibetur in Extrema Unctione, esse iterabilem.*

## TITULUS XVII.

### De filijs Presbyterorum ordinandis vel non ordinandis.

1. Illegitimè nati arcentur ab Ordinibus & beneficijs Ecclesiasticis.
3. Possunt tamen ingredi monasteria & ordinari.
4. Quoad Ordines majores solus Pont. cum ijs dispensare potest.
5. Quousque se extendat dispensatio illa.
6. Filius patri in beneficio succedere nequit.
7. Pœna ejus, qui sine dispensatione est promotus ad Ordines.

**E**Gimus antea de ætate & qualitate ordinandorum ac præficiendorum. Quidam verò ordinari & præfici prohibentur atque impediuntur, & in primis natalium vitio. Quemadmodum enim apud Ethnicos sanctum observatumque fuit, ut illegitimè nati, quam-